

1277, novembre, 30

*L'abadessa Berenguera de Sant Daniel estableix a Bernarda, esposa de Pere Avinyó, una casa i hort situada a Sant Daniel, a cens de 20 diners, per una lliura de cera d'entrada.*

ASD núm. 239, perg. orig., 320 x 250 mm.

Sit omnibus riotum quod nos domina Berengaria, Dei gratia Sancti Danielis monasterii abbatissa, de consilio et uoluntate conuentus nostri donamus et stabilimus tibi Bernarde uxori Petri Auinioni, filie Bernardi Tauernerii in manu et posse tui, scriptoris subscripti tamquam publice persone nomine dicte Bernarde licet absentis et pro ea recipientis et stipulantis et tuis ac quibus uolueris in eternum totam illam nostram domum cum sua porticu et cum orto qui ibi est, que omnia sunt prope ipsam nostram condaminam in ualle Sancti Danielis, que etiam omnia affrontant ab oriente in dicta nostra condamina, a meridie et accidente in ipsa carraria, a circio in domo Raimundi de Sancto Celedonio quam pro nobis tenet, cum ingressibus, exitibus, pertinenciis, tenedonibus, solo, superposito, parietibus, fundamentis, honeribus, sufferimentis, stillicidiis, cloacis, cum omnibus suis integritatibus et melioramentis factis in predictis et deinde faciendis de abisso usque ad nubes, prout melius et utilius ad tuum tuorumque comodum potest intelligi atque <lici, constituentes nos hec omnia tuo nomine possidere uel quasi donec racione huius doni et stabilimenti corporalèm possessionem apprehenderis de eisdem, quam possis auctoritate tua apprehendere et eandem tibi et tuis perpetuo retinere, sub tali pacto et conditione appositis quod racione predictorum que tibi damus et stabilimus euenias et sis propria femina nostri et nostri monasterii et facias tu et tui semper in dicta domo continuam residenciam personalem et prestetis inde nobis et nostris successoribus annuatim pro censu in festo Natalis Domini uiginti denarios monete barchinonensis de temo. Et si predicta que tibi stabilimus et damus tu aut tui uendere uolueritis, primitus fatigetis uos in nobis et successoribus nostris per spatium decem dierum infra quos a te uel tuis predicta emamus, et nisi emerimus infra illorum .x. dierum spacium, exinde possitis predicta uendere persone alicui que esset nostra nostrique monasterii et non . alii nisi esset nostra. Tu uero et tui caueatis uobis ne ex predictis domo porticu et orto eueniat aliquod dampnum dicte nostre condamine, et sic ut dictum est tu et tui habeatis, teneatis atque possideatis omnia supradicta ad tuas et eorum uoluntates inde perpetuo faciendas, saluo iure nostro nostrique monasterii in terciis, laudismiis et foriscapiis qui inde poterirít prouenire, in censu dictorum .xx. denariorum per te et tuos nobis et nostris successoribus annuatim censualiter prestandorum. Et sic promitimus tibi dicte Bernarde licet absenti et tibi scriptori subscripto tamquam publice persone pro ipsa et eius nomine omnia in hoc instrumento contenta recipienti et stipulanti predictum donum et stabilimentum semper tibi et tuis facere habere et tenere in pace, et erimus inde tibi deffensatrices et guirentes contra cunctas personas, obligantes tibi ad hec et tibi scriptori subscripto pro ea et eius nomine recipienti hanc obligacionem omnia bona nostri monasterii ubique; et propter hoc donum et stabilimentum fatemur nos a te recepisse unam libram cere, renunciando

excepcioni rei non tradite et non recepte et omni iuri contra predicta repugnanti. Et nos Beatrix de Palaria, sacristana,

Cecília de Fuxano, priorissa, Guilielma de Petra Talliata, cameraria, Prisca de Torrente, piateria, Berengaria de Trilia, Blanca de Miniana, Bartolomea de Ciiario, Agnes de Solerio, Agnes de Gerundella et Guilielma de Serriano, moniales dicti monasterii, laudamus et concedimus omnia supradicta.

Quod est actum .n. kalendas decembris anno Domini millesimo .CCLXX. septimo.

Sig+num domine Berengarie, Dei gratia abbatisse predicte, que hoc firmamus et laudamus, cuius signum et firmamentum ego scriptor subscriptus hic mandato apposui domine abbatisse. Sig+num Beatricis de Palaria, sacristane, sig+num Cecilie de Fuxano, priorisse, sig+num Guilielme de Petra Talliata, camerarie, sig+num Frische de Torrente, piaterie, sig+num Berengarie de Trilia, sig+num Blanche de Miniana, sig+num Bartolomee de Ciiario, sig+num Agnetis de Solerio, sig+num Agnetis de Gerundella, sig+num Guilielme de Serriano, monialium predictarum, que hec omnia firmamus et laudamus. Testes huius rei sunt Bernardus de Doscheriis et Bartholomeus de Montefoliano.

Ego (s. man.) Michael de Ulmo, terrenus locum Raimundi de Toyano, publicus Gerunde notarius, hoc scripsi.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 493-495